



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**DE VITA || ET MORIBVS IGNA-||TII LOIOLAE,|| QVI
SOCIETATEM IESV || fundauit, Libri III.|| Auctore Ioanne
Petro Maffeo, pres-||bytero Societatis eiusdem.|| Ex
auctoritate superiorum.||**

Maffei, Giovanni Pietro

Köln, 1585

VD16 M 110

De Iulij III. obitu, & de Marcelli II. in Ignatiu[m] nostrosq[ue] beneuolentia.
Ca. XXII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68259)

lis in Societatem impetus & conatus eo deniq; recidisse, vt cum maximè nostros, opinionis errore deceptus, ex vniuersa Hispania pulsos cuperet, tunc ipsum in sua Toletana metropoli domum illis exstrueret, ornaretq;. Eiusmodi fuit igitur Hispaniësis illius procellæ transitus. Ac pari felicitate in alijs quoque prouincijs coortæ in nos tempestates, Ignatij lenitate, prudentia que sedatæ sunt: ac Dei beneficio vbiq; fere Societas maiora in dies incrementa capiebat.

De Iulij III. obitu, & de Marcelli II. in Ignatium nostros q. beneuolentia.

Cap. XXII.

I Nter hæc Iulius anno Pontificatus quinto demoritur: cui Marcellus Ceruinus Politianus ingēti bonorum omnium gaudio suffectus est. quidquid enim erat spei de publicis rebus, id pœnè totum eius Pōtificatus annis vulgo desponderant. Ad hunc Ignatius pro veteri familiaritate cū adorandi & gratulandi causa venisset, arctè amplexus hominē Pōtifex, & suauissimè exoscu-
la-

latus, multa cum eo inambulans de fidei Christianae propagatione, deq; restituenda Ecclesiastica disciplina serio contulit: atq; ob id ipsum nonnullos ab eo petijt viros, quos haberet apud se consilij causa. Caeterum in primis dilexit Iacobum Lainem, & Martinum Olaium, quorum videlicet vtriusq; virtutem ac sapientiam optimè nouerat. nam de Francisco Xauerio, cuius fama, rebusq; gestis valdè permouebatur, iam ante exorauerat, vt illum omninò Romā ex India reuocaret: quòd tanti viri videndi, ruendiq; in eius amplexum miro quodam desiderio teneretur, quinetiam nostros quotquot ea tempestate Romae versabantur, ad se in palatium adduci iusserat: quòd haec copiolas recensere, & singulos corā quasi bonus imperator milites vellet inspicere. deniq; multis de nostra Societate verbis vltro citroq; habitis: Tubellatores (inquit Pontifex) confice; nos vtemur. Cùm ab eo congressu, alijsq; deinde colloquijs latus admodum discessisset Ignatius, & optima spe Societatem impleffet, breui ca latitia

tia

tia cunctis euauit. si quidem Marcel-
 lus altero & vicesimo die quàm Ponti-
 fex declaratus fuerat, febris extinctus;
 ingēti omnium luctu Christianam rē-
 publicam orbam ac debilitatam reli-
 quit.

Ignatij obitus. Cap. XXIII.

SVcessit Marcello Paulus eo no-
 mine quartus, qui, cum propter nō
 nullas interpositas offensiones acerri-
 mus nostri ordinis inimicus fore puta-
 retur, hominum opinionem longe fe-
 fellit. Nam & in Ignatium ipsum, cun-
 ctis admirantibus, perhonorificum se-
 se præbuit; & Societatem multis rebus
 decorauit, auxitq; : & nostrorum ho-
 minum opera maximis in rebus Eccle-
 siæ plurimum vsus est: & de fundando
 collegio seu academia, quam in Vrbe
 Ignatius magno reipublice Christiane
 bono instituerat, serio cogitauit. Hunc
 Pontificem inter & Philippum Catho-
 licum Regem exorto graui & pericu-
 loso bello, quod breui deinde compo-
 situm est; cuncta misceri, compleri ar-
 matis Vrbs; tympanorum, ac tormen-

R torum